



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De Vsv Sacramenti, Et De Sacrificio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

ausquam extare apud Patres. Sed vt tota causa magis
perspici possit, dicemus & nos de vſu sacramenti, ea,
quæ certum est consentanea esse Patribus & Scri-
pturæ.

DE VSV SACRAMENTI, ET DE SACRIFICIO.

QUIDAM belli homines fingunt, cœnam Domini
institutam esse propter duas causas. Primum, vt
sit nota & testimonium professionis, sicut certa
forma cuculli est signum certæ professionis. Deinde
cogitant, præcipuè talem notam Christo placuisse, vi-
delicet conuiuium, vt significaret mutuan inter Chri-
stianos coniunctionem atq; amicitiam, quia symposia
sunt signa fœderum & amicitia. Sed hæc opinio est
ciuilis, nec ostendit præcipuum vsu rerum à Deo
traditarum, Tantùm de caritate exercenda loquitur,
quam homines prophani & ciuiles vtcunq; intelli-
gunt, De fide non loquitur, quæ quid sit, pauci intelli-
gunt.

Sacramenta sunt signa voluntatis Dei erga nos, non
tantùm signa sunt hominum inter sese. Et rectè de-
finiunt sacramenta in nouo testamento esse signa gra-
tiæ. Et quia in sacramento duo sunt, Signũ & Verbum;
Verbum in nouo testamento est promissio gratiæ ad-
dita, Promissio noui testamenti est promissio remissio-
nis peccatorum, sicut Textus hic dicit: Hoc est corpus
meum, quod pro vobis datur. Hic est calix noui testa-
menti, cum sanguine meo, qui pro multis effundetur in
remissionem peccatorum. Verbum igitur offert remis-
sionem peccatorum. Et ceremonia est quasi pictura ver-
bi seu sigillum, vt Paulus vocat, ostendens promissio-
nem. Ergo sicut promissio inutilis est, nisi fide accipia-
tur, ita inutilis est ceremonia, nisi fides accedat, quæ
verè statuat hic offerri remissionem peccatorum.

Et

Et hæc fides erigit contritas mentes. Et sicut verbum ad hanc fidem excitandam traditum est, Ita sacramentum institutum est, vt illa species incurrens in oculum moueat corda ad credendum. Per hæc enim, videlicet per verbum & sacramentum, operatur Spiritus sanctus. Et talis vsus sacramenti, cum fides viuificat perterrita corda, cultus est noui testamenti, quia nouum testamentum habet motus spirituales, mortificationem & viuificationem. Et ad hunc vsum instituit Christus cum iubet facere in sui commemorationem. Nam meminisse Christi, non est ociosa spectaculi celebratio aut exempli causa instituta, sicut in Tragædijs celebratur memoria Herculis, aut Vlyssis; Sed est meminisse beneficia Christi, eaq; fide accipere, vt per ea viuificemur. Ideo Psalmus ait: Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, Escam dedit timentibus se. Significat enim, voluntatem & misericordiam Dei agnoscendam esse in illa cerimonia. Illa autem fides, quæ agnoscit misericordiam, viuificat. Et hic principalis vsus est sacramenti, in quo apparet qui sint idonei ad sacramentum, videlicet perterritæ conscientiæ, & quomodo vti debeant.

Accedit & sacrificium. Sunt enim vnus rei plures fines, Postquam conscientia fide erecta sensit, ex quibus terroribus liberetur, tum verò seriò agit gratias pro beneficio & passione Christi, & vtitur ipsa cerimonia ad laudem Dei, vt hac obedientia gratitudinem ostendat, & testatur, se magnifacere dona Dei. Ita fit cerimonia sacrificium laudis. Ac Patres quidem de duplici effectu loquuntur, de consolatione conscientiarum, & de gratiarum actione seu laude. Horum effectus prior ad sacramenti rationem pertinet, posterior pertinet ad sacrificium. De consolatione ait Ambrosius: Accedite ad eum & absolui mini, quia est remissio peccatorum. Qui sit iste, quæritis? Audite ipsum dicentem

tem: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Hic testatur, in sacramento offerri remissionem peccatorum; testatur & fide accipi debere. Infinita testimonia leguntur in hanc sententiam apud Patres, quæ omnia detorquent aduersarij ad opus operatum & applicandum pro alijs, cum Patres apertè requirant fidem, & de propria cuiusq; consolatione loquantur, non de applicatione. Præter hæc leguntur & sententiæ de gratiarum actione, qualis illa est suauissimè dicta à Cypriano de piè communicantibus: Pietas, inquit, inter data & condonata se diuidens, gratias agit tam vberis beneficij largitori, id est, pietas intuetur data & condonata; hoc est, confert inter se magnitudinè beneficiorum Dei & magnitudinè nostrorum malorum, mortis & peccati, & agit gratias, &c. Et hinc extitit appellatio *εὐχαριστίας* in Ecclesia. Neq; verò ceremonia ipsa est gratiarum actio ex opere operato applicanda pro alijs, vt mereatur eis remissionem peccatorum, &c. vt liberet animas defunctorum. Hæc pugnant cum iustitia fidei; quasi ceremonia sine fide profit aut facienti, aut alijs.

DE VOCABVLIS MISSÆ.

ADVERSARIJ reuocant nos etiam ad Grammaticam, sumunt argumenta ex appellationibus Missæ; quæ non habent opus longa disputatione. Non enim sequitur, Missam, etiamsi vocatur sacrificium, opus esse ex opere operato gratiam conferens, aut applicatum pro alijs, mereri eis remissionem peccatorum, &c. *ἁγίασμα*, inquit, significat sacrificium. Et Græci Missam appellant liturgiam. Cur hinc omittunt appellationem veterem Synaxis? quæ ostendit, Missam

olim